

atque omnes Pantheistae ¹, et Materialistae ² Providentiam Divinam omnino negarunt.

180. Prop. 1^a. *Necesse est admittere Providentiam, prout significat ipsam rationem ordinis in mente Divina.*

Probatur. Omne bonum, quod naturaliter in rebus invenitur, a Deo creatum sit oportet, siquidem Deus est causa prima universalissima. Atqui « in rebus invenitur non solum bonum, quantum ab substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum in finem, et praecipue in finem ultimum, qui est Bonitas Divina ». Hoc igitur bonum ordinis in rebus creatis existens a Deo creatum est. Atqui Deus est causa rerum per suum intellectum, ac proinde oportet in Ipso rationem cuiuslibet sui effectus praeesistere. Ergo necesse est, ut ratio ordinis rerum in finem in Mente Divina praeesistat ³.

181. Prop. 2^a. *Admittenda est Divina Providentia, prout haec rerum gubernationem significat.*

Probatur. « Quicumque facit aliquid propter finem, utitur illo ad finem. Ostensum est autem quod omnia, quae habent esse quocumque modo, sunt effectus Dei; et quod Deus omnia facit propter finem, qui est ipse. Ipse igitur utitur omnibus, dirigendo ea in finem. Hoc autem est gubernare. Est igitur Deus per suam Providentiam omnium gubernator ⁴ ».

182. Aliud argumentum ex Bonitate, et Sapientia Dei petitur, atque ita a s. Damasceno exhibetur: « Natura bonus est et sapiens (Deus). Igitur, quatenus est bonus, providet. Qui enim non providet, non est bonus. Nam et homines, et bestiae priorum foetuum providentiam habent, naturali quodam instinctu; et qui non providet, vituperari solet. Quatenus autem sapiens est, optime prospicit ⁵ ».

¹ Cf *Cosmol.*, c. VI, art. 6, p. 152, not. 1.

² Cf *ibid.*, not. 4.

³ Cf I, q. XXII, a. 1 c. — ⁴ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 64.

⁵ *De Fide orth.*, lib. II, c. 29. Eadem ratione argumentatur s. Thomas: « Non convenit summae Dei Bonitati, quod res productas ad perfectum non perducatur. Ultima autem perfectio est uniuscuiusque in consecutione finis. Unde ad divinam Bonitatem pertinet, ut, sicut produxit res in esse, ita etiam eas ad finem perducatur, quod est gubernare »; I, q. CIII, a. 1 c. Hinc Lactantius contra Epicurum rem agens, inquit: « Si est Deus, utique providens est, ut Deus; nec aliter Ei potest Divinitas attribui, nisi et praeterita teneat, et praesentia sciat, et futura prospiciat. Cum igitur

183. Id, quod ex ipsa Dei natura demonstravimus, ex constanti rerum ordine, earumque stabili in suis agendis motibus harmonia, atque consensu confirmatur. Profecto omnes res ad suos ordinantur fines, atque inter eas extat nexus plane mirabilis, ita ut una alteri inserviat, et ex omnibus apte connexis consurgat Universi pulchritudo. Atqui ex hac rerum ordinatione, sive dispositione Divina Providentia ostenditur ¹. Ergo ².

184. Id ipsum ex perpetua, atque manifesta omnium gentium consensione evincitur. « Homines, ait Nemesius, necessitate aliqua compulsi statim ad Numen divinum, et preces confugiunt; velut natura eos ad Dei opem perducere. . . In repentinis perturbationibus, et timoribus, sine electione, neque deliberate, Dei Numen invocamus. Quidquid autem naturaliter quamque rem insequitur, in eo tanta vis est ad demonstrandum, ut contradicere nihil possit ³ ».

185. Denique, sublata Dei Providentia, omnis religio est reiicienda. « Quis honos, ait Lactantius, deberi potest nihil curanti, et ingrato? An aliqua ratione obstricti esse possumus Ei, qui nihil habeat commune nobiscum? ⁴ » Nulla quoque virtus, et honestas, neque proinde societas, quae non nisi in iustitia innititur, esse posset. « Quid erit, inquit idem Lactantius, homine truculentius, quid immitius, si, dempto metu superiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? . . . Multum refraenat hominum conscientias, si credamus nos in conspectu Dei vivere,

Providentiam sustulit (Epicurus), etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum esse professus est, et Providentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest »; *De ira Dei*, c. 9.

¹ « Ipse ordo certus rerum manifeste demonstrat gubernationem mundi; sicut, si quis intraret domum bene ordinatam, ex ipsa domus ordinatione, ordinatoris rationem perpendere »; I, loc. cit.

² Hinc aiebat s. Ioan. Chrysostomus: « Si navigium sine gubernante non persisteret, sed facile submergeretur, quomodo subsisteret mundus tantum temporis, gubernatore nemine? *Homil. X, ad populum Antiochenum*, n. 2-3. Cf Lactant., *Div. Inst.*, lib. I, c. 3.

³ *De nat. hom.*, c. 44.

⁴ *De ira Dei*, c. 8. « Si Dei Providentia, aiebat etiam s. Augustinus, non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum » (*De utilit. credendi*, c. 16, n. 34). Enimvero, « si, inquit Salvianus, negligit Deus in hoc saeculo genus humanum, cur ad Coelum quotidie manus tendimus? Cur ad altaria supplicamus? » *De Gubern. Dei*, lib. I.

si non tantum, quae gerimus, videri desuper, sed etiam quae cogitamus, aut loquimur, audiri a Deo putemus¹ ».

186. Prop. 3^a. *Dei Providentia ad omnes res singulares, infimas quoque, atque vilissimas se porrigit.*

Probat. Ideo Deus est gubernator rerum, quia est causa earum; nam « eiusdem est rem producere, et ei perfectionem dare, quod ad gubernantem pertinet ». Atqui nihil potest esse, quod non sit a Deo creatum. Ergo nihil potest esse, quod Dei gubernationi non subiiciatur².

187. Praeterea, quamvis ex causa Deo administratio harum rerum esset deneganda? Num quod res Eum lateant? At quomodo eas creasset, nisi cognovisset? An quia non potest; aut providendo fatigatur? Nihil profecto minus; Deus enim est infinite omnipotens, atque simplici voluntatis nutu omnia peragit. Neque dici potest, nolle Eum res gubernare, aut res creatas incapaces esse gubernationis. Nam Dei voluntas est omnis boni, cum sit ipsa bonitas; « bonum autem eorum, quae gubernantur, in ordine gubernationis maxime consistit³ ». Non sunt autem res creatae incapaces gubernationis; reipsa enim ordinantur ad invicem, earumque multae gubernantur etiam humanae rationis industria. « Nulla igitur, concludimus cum Eusebio, mundi particula Dei Providentiam effugit⁴ ».

188. Observandum autem est singulas res *diversimode gubernari a Deo, secundum earum diversitatem*. Hinc creaturae rationales, cum sint *per se agentes, tamquam habentes dominium sui actus*, peculiari quodam modo a Deo gubernantur, nempe « ab Eo inducuntur ad bonum, et retrahuntur a malo per praecepta, et prohibitiones, praemia, et poenas. Hoc autem modo non gubernantur a Deo creaturae irrationales, quae tantum aguntur, et non agunt⁵ ».

¹ *Ibid.*, c. 8, et 12.

² I, q. CIII, a. 5 c. Eadem ratione argumentatur s. Ambrosius: « Quis operator, ait, negligat operis sui curam? Quis deserat et destituat, quod ipse condendum putavit? Si iniuria est regere, non est maior iniuria fecisse? cum aliquid non fecisse nulla iniustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia »; *De offic.*, lib. I, c. 13.

³ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 75. — ⁴ *De praep. Ev.*, lib. XII, c. 28.

⁵ I, q. CIII, a. 5 ad 2. Hac significatione, ut idem sanctus Doctor advertit, intelligendum est illud Apostoli *I ad Cor.*, c. IX, v. 9: *Numquid de bobus cura est Deo?* Nempe « Apostolus non totaliter subtrahit boves a

189. Obiic.¹ 1^o Manifestum experientia est impios prosperam in hoc mundo vitam agere, e contrario iustos innumeris affligi calamitatibus. Atqui id repugnat Divinae Providentiae, quae profecto iusta esse deberet. Ergo².

190. Resp. *Transeat maior; neg. min. Neg. cons.* Diximus, *transeat maior*; tum quia non semper fit, ut boni in aerumnis, impii vero in prosperitate versentur; tum quia falsum est laetos florere impios, dum suis deliciis, ac corporeis voluptatibus fruuntur, et vexari pios, dum miseriis affliguntur; potius enim illi perpetuis conscientiae stimulis, et curis dilacerantur; hi vero in suis miseriis maxima voluptate perfruuntur. Ceterum ex eo, quod mala in bonos, et bona in malos proveniant, tantum abest, ut vel iniustitiae accusari Deus possit, vel Illius negari Providentia, quin potius et summe iustus, et maxime providus hinc Deus ipse appareat³. Exinde enim ostenditur Providentiam Divinam etiam ultra huius vitae terminos protendi, ita ut Deus utrisque, sive bonis, sive malis, in vita altera pro meritis vel praemia vel poenas impertiatur⁴. Quoniam vero nullus est tam bonus, qui non aliquando delinquat, neque tam malus, qui aliquod bonum morale quandoque non agat, aequum est, ut boni aliqua poena temporaria plectantur, et mali aliquod temporarium praemium recipiant⁵. Accedit, quod si nunc virtus sine praemio, et scelus sine supplicio numquam relinquerentur, homines servili affectu virtutes solum propter praemia sectarentur, et a vitis solo poenae metu se abstinere; unde debitus mora-

cura gubernationis divinae, sed solum quantum ad modum, qui proprie competit rationali creaturae »; *Ibid.*

¹ Obiectiones petitas ex malis, quae sunt in mundo, partim alibi (pp. 303-304) praecooccupavimus, partim in sequenti Capite refellemus.

² Bayleus summa audacia asseruit huic difficultati in hunc usque diem responso nullo satisfieri potuisse.

³ Vid. s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXIX, q. 2, a. 2 ad 5.

⁴ « Si nunc, scribit s. Augustinus, omne peccatum manifesta plecteret (Deus) poena, nihil ultimo iudicio servari putaretur »; *De Civ. Dei*, lib. I, c. 8.

⁵ « Humiliter cogitantes, quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis atque impiis, tamen non usque adeo se a delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicent dignos »; *Ibid.*, c. 9. Et c. 8: « Placuit Divinae Providentiae praeparare in posterum bona iustis, quibus non fruuntur iniusti; et mala impiis, quibus non exercebantur boni ».

lium actionum finis abesset¹. Nec omittendum quod Deus impios florere permittit, ut ex bonorum a Deo receptorum consideratione, et piorum exemplo ad meliorem frugem revocentur; vexari autem pios, ut in virtutum exercitio magis confirmentur; quare bona, et mala huius vitae rationem mediorum ad futuram acquirendam felicitatem habere dicenda sunt². «Ista permixtio semper ordinatur ad id, quod est per se hominis bonum³».

191. Obiic. 2^o Plura fortuito eveniunt in mundo. Ergo non omnia Dei Providentia reguntur.

192. Resp. *Dist. ant.*, quatenus *fiunt extra ordinem causarum particularium, conc. ant.*, quatenus *praeter ordinem Divinae gubernationis contingunt, neg. ant. Neg. cons.* Responsio est s. Thomae: «Dicendum, quod aliqua dicuntur esse casualia in rebus per ordinem ad causas particulares, extra quarum ordinem fiunt; sed quantum ad Divinam Providentiam pertinet, nihil fit casu in mundo⁴». Sane fieri potest, et interdum fit, ut quidquam, si ad causas inferiores referatur, sit fortuitum, non vero, si ad aliquam causam ipsis superiorem. «Sicut, ait idem sanctus Doctor, si duo servi alicuius domini mittantur ab eo ad eundem locum, uno de altero ignorante, concursus duorum servorum, si ad ipsos servos referatur, casualis est, quia accidit praeter utriusque intentionem; si autem referatur ad dominum, qui hoc praeordinavit, non est casuale, sed per se intentum⁵». Iamvero ita se res habet circa ea, quae fortuito evenire in mundo dicuntur; nempe «praeter ordinem alicuius particularis causae aliquis effectus evenire potest, non autem praeter ordinem Causae universalis. Cuius ratio est, quia praeter ordinem particularis causae nihil provenit, nisi ex aliqua alia causa impediente; quam quidem causam necesse est reducere in primam causam universalem. Sicut indigestio contingit praeter ordinem virtutis nutritivae ex aliquo impedimento; puta ex grossitie cibi, quam necesse est reducere in aliam causam; et sic usque ad Causam pri-

¹ « Si, inquit idem sanctus Doctor, omnibus eas (*res secundas*) petentibus daret, non nisi propter talia praemia serviendum Illi arbitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos, et avaros»; *Ibid.*, c. 8.

² « Patientia Dei ad poenitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos »; *Ibid.*, c. 8.

³ *In lib. I Sent.*, loc. cit. — ⁴ I, q. CIII, a. 7 ad 2.

⁵ *Ibid.*, q. CXVI, a. 1 c.

mam universalem. Cum igitur Deus sit prima Causa universalis non unius generis tantum, sed totius entis, impossibile est, quod aliquid contingat praeter ordinem Divinae gubernationis. Sed ex hoc ipso, quod aliquid ex una parte videtur exire ab ordine Divinae Providentiae, qui consideratur secundum aliquam particularem causam, necesse est, quod in eundem ordinem relabatur secundum aliam causam¹». Itaque nihil fortuiti in hac rerum universitate evenit, quippe «quod ea, quae hic per accidens aguntur sive in rebus naturalibus, sive in humanis, reducuntur in aliquam causam praeordinantem, quae est Providentia Divina²».

193. Obiic. 3^o Si Providentia Dei ad omnes, et singulos effectus pertineat, Divinae Voluntati iniuriosus est, qui in gerendis negotiis et suam, et aliorum curam interponit; qui morbo laborans sanitatem in remediis quaerit; haec enim omnia Deo summe provido committenda sunt. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

194. Resp., *neg. mai.* Et sane «Divina operatio non excludit causas secundas³»; atque «Deus unicuique rei ordinavit actiones secundum proprietatem suae naturae»; quapropter «expectare a Deo subsidium, in quibus se aliquis potest per propriam actionem iuvare, praetermissa propria actione, est insipientis, et Deum tentantis. Hoc enim ad Divinam Bonitatem pertinet, ut rebus provideat, non immediate omnia faciendo, sed alia movendo ad proprias actiones. Non est igitur expectandum a Deo, ut omni actione propria, qua sibi aliquis subvenire potest, praetermissa, Deus ei subveniat; hoc enim Divinae ordinationi repugnat, et Bonitati Ipsius⁴». Id unum postulatur ab eo, qui Divinam Providentiam agnoscit, ut scilicet totum sui laboris eventum Deo committat, et referat, Ipsiusque voluntatem in omnibus animo submitto veneretur. «Hoc, subdit idem sanctus Doctor, dispositioni Divinae subiacet, quid cuique ex actione sua proveniat. Praecipit ergo Dominus nos non debere esse sollicitos

¹ *Ibid.*, q. CIII, a. 7 c.

² *Ibid.*, q. CXVI, a. 1 c. Cf s. Aug., *Qq. LXXXIII*, q. 24, et *De Civ. Dei*, lib. V, c. 1.

³ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 77. Quare Divina Providentia etsi attingat a fine usque ad finem fortiter, tamen disponit omnia suaviter.

⁴ *Op. cit.*, *ibid.* c. 135.

de eo, quod ad nos non pertinet, scilicet de eventibus nostrarum actionum; non autem prohibuit nos esse sollicitos de eo, quod ad nos pertinet, scilicet de nostro opere ¹ ».

195. Obiic. 4^o Admissa Dei Providentia, cuius decreta certe frustrari non possunt, actum est de nostra libertate; nec ulla erit contingentia, sed omnia ita erunt, ut non possint non esse, nec aliter esse. Ergo.

196. Resp. *Neg. ant.* Dei Providentia neque a nobis libertatem, neque a rebus contingentibus contingentiam excludi iam docuit s. Thomas. Non excluditur quidem libertas. « Cum enim Divinae Providentiae non solum subdantur effectus, sed etiam causae, et modi essendi; non sequitur, quod si omnia Dei Providentia aguntur, nihil sit in nobis; sic enim sunt a *Deo provisiva*, ut per nos libere fiant ² ». Idem dicendum de contingentibus; Deus enim ipse providit, ut quaedam necessario, quaedam contingenter evenirent. « Quibusdam effectibus praeparavit causas necessarias, ut necessario evenirent, quibusdam vero causas contingentes, ut evenirent contingenter, secundum conditionem proximarum causarum ³ ». Non ergo frustrantur Divina decreta; nam « si Deus providit hoc futurum, hoc erit; sed sic erit, sicut Deus providit illud esse futurum; providit autem illud esse futurum contingenter: sequitur ergo infallibiliter quod erit contingenter, non necessario ⁴ ».

¹ Ibid. — ² *Contr. Gent.*, cit., lib. III, c. 94; cf *ibid.*, c. 72 et 73.

³ I, q. XXII, a. 4 c.

⁴ *Contr. Gent.*, lib. III, c. 94. Hinc sanctus Doctor monet admitti posse *fatum*, si eius nomine intelligatur ipsa Divina Providentia, omnia, quae fiunt in mundo, iuxta naturam, et conditionem causarum, a quibus proveniunt, id est libera libere, et necessaria necessario disponens. Divina Providentia per causas medias suos effectus exequitur. Potest ergo ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari. Uno modo, secundum quod est in ipso Deo; et sic ipsa ordinatio effectuum vocatur Providentia. Secundum vero quod praedicta ordinatio consideratur in mediis causis a Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, sic habet rationem *fati*. . . Sic ergo est manifestum, quod *fatum* est in ipsis causis creatis, in quantum sunt ordinatae a Deo ad aliquos effectus producendos » (I, q. CXVI, a. 2 c.). Nihilominus, monente eodem sancto Doctore, non debemus hoc nomine *uti*, quia non convenit Catholicos habere nomina cum paganis communia (*Quodlib.* XII, a. 4). « Prorsus, inquit etiam s. Augustinus, divina Providentia regna constituuntur humana; quae si propterea quisquam *fato* tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem *fati* nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat »; *De Civ. Dei*, lib. V, c. 1.

CAPVT V.

De unitate Dei

ART. I. Refutatur Polytheismus

197. Ex ipsa Dei natura, huc usque secundum intelligentiae nostrae angustias explicata, Ipsius unitas manifestissime demonstratur. Turpissimus ille error, quo plures admittuntur Dii, appellatur *Polytheismus*.

Prop. *Deus ita unus est, ut plures esse Deos absolute repugnet.*

*Probat*ur primo ex summa Eius simplicitate. Sane « illud, unde aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile ». E.g., illud, « unde Socrates est *homo*, multis communicari potest; sed id, unde est *hic homo*, non potest communicari, nisi uni tantum ». Atqui, cum Deus ex sui natura sit ipsum Esse subsistens, « ipse Deus est sua natura », ac proinde « secundum idem est Deus, et hic Deus ». Ergo, sicut si Socrates per id esset homo, per quod est *hic homo*, non possent esse plures homines, aequae ac non possent esse plures Socrates; ita impossibile est plures esse Deos ¹.

198. Secundo demonstratur ex infinita Dei perfectione. Ens enim summe perfectum non nisi unum esse potest. Siquidem si plura essent, certo quodam discrimine inter se distinguerentur; alioquin, si eadem prorsus natura singulis illis communis esset, non multiplex, sed unicum ens summe perfectum admitteretur. Iam vero illud, in quo differrent, imperfectio esse non potest, quippe repugnat in Ente summe perfecto imperfectionem aliquam esse. Differrent igitur aliqua perfectione, quae uni inesset, atque alteri non conveniret: ideo nullum ex entibus illis infinite perfectum erit. Itaque Ens summe perfectum non nisi unum esse potest. Deus ergo ita est summe unus, ut omnino repugnet plures esse Deos ².

199. Tertio. Id ipsum ex notione Entis necessarii luculenter evincitur. Ens enim necessarium hoc sibi vindicat, ut sui non-existentia repugnet; ergo si plura existerent entia necessaria, eorum non-existentia repugnaret. Rursum, cum Ens necessa-

¹ I, q. XI, a. 3 c. — ² Ibid.